





Pri. 54. num. 17.

L

COMMENTATIO *1765* *14*
DE
INTERPRETATIONE
CAP. III. NOVELLAE CXV,

P. 256.

QVAM
MEMBRIS QVIBVSDAM VALEDICENTIBVS
COLLEGII DISPVTORII,

QVOD
PRAESIDE
VIRO CONSVLTISSIMO AC DOCTISSIMO
IACOBO RAVE
IVRIVM DOCTORE CELEBERRIMO

HABETVR
NOMINE HVIVS COLLEGII

CONSECRAT
AVCTOR
CHRISTIANVS FRIDERICVS GEVSSENHAINER

ALTENBURGENSIS. L. L. C.

MENSE APRILI ANNO MDCCLXV.

IENAE
LITTERIS STRAVSSIANIS.



CONSTITUTION
REPUBLICAN
CONSTITUTION

IN THE
STATE OF

NEW YORK

THE

LEGISLATURE

OF

THE

STATE

OF

NEW YORK

IN

SESSION

OF

THE

LEGISLATURE



VIRIS
PRAENOBILISSIMIS AC DOCTISSIMIS,
IOAN. ANTON. BVCHHOLZ,

CREMPA - HOLSATO,

MELCH. GYMBEL,

ALTENBURGENSI,

IONAE HARRSEN,

NORDSTRANDIO - SCHLESVIC.

IOAN. ADOLPHO SCHVLTES,

THEMAR - GOTHANO,

PHILIPP. HENR. SEYBERTH,

NASSAV - IDSTEIN.

IOAN. GEORG. VHL,

HEILBRONNENSI,

IVRIS LEGVMQVE CVLTORIBVS ADSIDVIS
ET LAVDE DIGNISSIMIS

S. P. D.

COLLEGIVM DISPVATORIVM

IP SIS


HOC QVALECVNQUE AMICITIAE ET GRATAE
MEMORIAE MVNVSCVLVM

D. D. D.



SVI MEMORIAM DE MELIORI COMMENDAT,
STVDIORVM EGREGIORVM
EGREGIOS PROVENTVS,
FORTVNAM IN OMNI VITA
CONSTANTEM ET AEQVABLEM,
SALVTEM PROSPERRIMAM
ET QVAEVIS PROSPERITATIS
IVCVNDITATIS ET HONORVM
PRAESIDIA
EX ANIMO PRECATVR;
QVIBVS
VT DIVINVM NVMEN
ANNVAT PRECIBVS
CVPI
ET SE QVOQVE ETIAM ATQVE ETIAM
MEMORIAE ET FAVORI
VIRORVM PRAENOBILISSIMORVM
COMMENDAT,
CVIVS STVDIO, VT HOC OFFICII GENVS
NOMINE COLLEGII DISPVTORII
INTERPRETETVR,
COMMISSVM EST

CHRIST. FRIED. GEVSSENHAINER,
ALTENBURGENSIS,
L. L. C.



IN QVANTVM NOVELLAE CXV.
CAP. III. ADMITTAT INTERPRETA-
TIONEM EXTENSIVAM.

§. I.



Exheres idem est ac ex iure heredis detrusus et quasi exstirpatus. Exheredatio est hic ipse actus, quo quis per delatorem hereditatis a sperata hereditate excluditur. Sub eaque in genere quoque continetur praeteritio. Quo sensu quilibet, qui ab intestato hereditatem sperare poterat, se exheredatum dicere poterit, si per testamentariam dispositionem suam spem frustratam videt. In sensu vero proprio et qui in iure accipitur, exheredatio est dispositio in testamento expresse facta, qua heres necessarius, ab omni hereditate, adeoque et legitima sua ex causa non honorifica excluditur. Cuius rei, quae sint consequen-



tionones, qui modus, quae praescripta hoc loco attingere non vacat.

SCHOL.

De antiqua Romanorum exheredandi facultate legas *HERNECCIUM in Syntagm. Antiq. Lib. II. Tit. X. §. 20. seqq.*
et *WESTENBERG in Princip. Pandect. Lib. 28. Tit. 2.*

§. 2.

Satis vero constabit hanc exheredationem, qua heres necessarius etiam ea parte hereditatis priuatur, quam leges sollicitè alias subtrahunt dispositionibus testatoris, esse poenam satis grauem et inhonestam. Proinde semel introducta *Legitima* fieri non potuit, quin statueretur, non sine graui quadam causa admittendam esse exheredationem. Quae causa, quum poenam producere debet, sit delictum quoddam exheredati, necessum est. At vero hoc delictum, quum ab eo, qui exheredem scribit, per exheredationem puniatur, tale oportet esse delictum, quod contra exheredantem commissum est. Considerata vero relatione, in qua exheredans est, contra eos, quos exheredes facere potest, apparebit, delicta, quae ab his contra illum admitti possunt, hanc communem habere naturam, vt amorem et gratitudinem tangant, et insignem defectum huius amoris et gratitudinis secum ferant. Vnde haec fiat generalis propositio: *Ratio, ob quam heres necessarius exheres scribi, et ab ipsa adeo legitima excludi potest, in vniuersum sita est in delicto ipsius contra exheredantem admisso, quo insignem defectum amoris et gratitudinis ipsi naturaliter debitae testificatur.*

§. 3.

§. 3.

Sed haec generalis ratio, quum diuersas haberet interpretationes, multumque dubii in pluribus causis adesset, an ad exheredationem possent sufficere: Iustinianus eam litem finiturus Nouellae CXV. inseruit Cap. 3. et 4. in iisque de causis probatis ad exheredationem descendendum et ascendendum disposuit. *Et de capitulis quidem tertii, quod causas exheredandi descendentes sub se complectitur, interpretatione iam quidem quaerimus, in quantum extensionem admittat?* Et imprimis quidem tota res eo redire videtur, vt discutiam

A.) Num circa personas in lege nominatas admittenda sit extensio? In quo momento duo subiuncta momenta latent

a.) Num altero parentum aut descendendum nominato, in eius locum poni possit alter parens aut alius descendens. v. c. num si de patre extat causa scripta, loco patris etiam poni possit mater, auus, auia, et si de filia extat causa, num et loco eius poni possit filius, nepos, neptis?

b.) Num quae patri facta est iniuria sufficiens ad exheredationem, eadem quoque iniuria patri facta, possit a matre aut alio ascendente accipi pro causa, ob eam ipsam iniuriam exheredandi descendentem, iniuriam hanc sibi permittentem, et hinc v. c. num si filius vel filia in patrem grauem aut inhonestam contumeliam admiserit, aut ipsi insidias vitae struxerit, non solum pater ipsum vel ipsam ex hac causa exheredem scribere possit, sed etiam mater, auus, auia?

B.) Num



B.) Num circa ipsas causas exheredationis recensitas talis admitti possit extensio?

§. 4.

Necesse attem est, vt ipsa verba Cap. III. proëmia-
lia adferantur in medium. Sunt autem secundum ver-
sionem HOMBERGIANAM haec: *Aliud insuper caput huic
legi addere placuit. Sancimus igitur, ne vllō modo patri,
aut matri, auo aut auiaē, proauo aut proauiaē, filium suum
aut filiam aut reliquos liberos in testamento suo praeterire
vel exheredare liceat (etsi, quacunq̄ue donatione, vel legato,
vel fideicommissō, vel alio quocunq̄ue modo partem illis le-
gibus debitam dederit) nisi forte ingrati probentur et paren-
tes ipsas causas ingratitudinis nominatim in testamento suo
scripserint. Sed quia causae, ex quibus liberi ingrati iu-
dicari debent per diuersas leges dispersas, nec clare expres-
sas inuenimus, (quarum quaedam ad ingratitudinem ne suf-
ficere quidem visae, aliae vero, licet sufficerent, praeter-
missae sunt,) propterea necessarium esse nobis visum est, prae-
senti lege illas nominatim comprehendere, vt praeter eas ne-
mini liceat, ex alia lege ingratitudinis causam opponere,
nisi illas, quae serie praesentis constitutionis continentur.
Iustas autem causas ingratitudinis has esse decernimus; Ex
quibus verbis apparet, mentem legislatoris fuisse, omnes
singulares exprimendi causas, in quibus sat grauem de-
fectum amoris et gratitudinis deprehendere sibi visus
est, exclusis omnibus reliquis expresse non relatis.*

§. 5.

Iam quod ad eam quaestionem spectat: Num ex-
pressa in dicta lege persona patris eodem loco quoque
ponenda sit mater, vel auus, vel auia, et loco filii,
filia,

filia, nepos, neptis. Id affirmandum omnino videtur, quum plane conuenienter menti imperatoris ita concludatur. Ipse enim in verbis §. 4. relatis omnes adscendentes et omnes descendentes nominat, inter quos constitutae causae debeant ad exheredationem sufficere, et praeterea in §. 8. huius Cap. III. ipse addit, hoc tamen, quod de fideiussione sancimus ad masculos liberos et quidem solos pertinere volumus, ex quibus verbis apparet, in hoc casu exceptionem adesse debere, quum in aliis omnibus nemo descendentium exceptus esse debeat. Hinc vero quaedam exempli causa addo.

- a.) Praeter casum in §. 6. Cap. III. expresse relatam continetur quoque hic casus: Si filia cum vitrico marito matris suae rem habuerit, aut nepos cum vxore aut concubina aui sui, aut neptis cum marito auiae suae.
- b.) Sub §. 10. Cap. III. comprehenditur quoque, si filia, nepos, neptis arenariis et mimis se sociauerit.
- c.) Sub §. 11. Cap. III. intelligendum quoque videtur, vt filius et nepos, qui luxuriosam vitam eligunt, quum matrimonium inire potuerint, exheredes scribi possint, id quod tamen alii in dubium vocant, quum filiarum tantum fiat mentio nec sexus femininus comprehendat masculinum. *L. 45. D. de leg. maior quoque castitas a feminis requiratur, quae argumenta sunt. b. STRYCKII in Caut. test. Cap. XIX. §. 35.*

§. 6.

Altera quaestio in §. 3. excitata magis lubrica est: Scilicet. *Num, si alteri adscendentium facta sit iniuria ad exheredandum sufficiens, etiam reliqui adscendentes possint*
 B hac



hac ipsa causa ad exheredandum uti? Tractat hanc quaestionem VIR ILLUSTRIS ET ERVDITIONIS GLORIA SATIS CONSPICVVS FRID. ESA. PVFFENDORFFIVS in *Observationum Iuris vniuersi Tom. II. Obseru. VI.* cui titulus: *Pater exheredare filium ob iniuriam matri illatam an possit, vel mater ob iniuriam patri illatam?* Et non dubitauit VIR ILLUSTRIS in sententiam eorum discedere, qui aiunt; utique licere alteri adscendentium exheredem scribere eum, qui in alterum adscendentem fuit iniurius. Quae sententia aduersa est illi, quam communi fere nomine defendunt Iureconfulti et quae communis videtur, illata quoque a BERGERO in *Oecon. Iur. Lib. II. Tit. IV. §. 14. no. 4.*

§. 7.

His vero rationibus continetur adsertio ILLUSTRIS PVFFENDORFFII. Quod 1.) ante Nou. CXV quaelibet iusta causa irascendi ad exheredationem suffecerit, id quod loca auctorum et legum confirmant. Vnde non dubitandum est, iustam irascendi causam habere patrem, si mater offensa fuerit, quod quamdam speciem veri accipit ex L. 1. §. 2. D. de obsequio parent. praestando. et ex L. 18. et 19. C. de inoff. testam. 2.) Quod ipse imperator in Nov. CXV ita intelligi voluerit. Partim enim haud ascendendum est, illum tollere voluisse, quod de iustis irascendi causis seruatum est in antiquis, partim in ipsa Nouella id manifeste expressit, ita esse seruandum, et, (vtar ipsis verbis ILLUSTR. AVCTORIS) *si quis liberorum naturalibus et propriis parentibus totis idcirco reuoluntatibus manus intulerit vel contumelia eos graui affecerit, liceat patri vel matri propterea filium exheredare; ait enim: Sancimus igitur, non licere plane patri vel matri aut auo vel auiae, proauo vel proauiae suum filium vel ceteros liberos praer.*



praeterire aut exheredes in suo testamento facere - - -
 nisi forsitan probabuntur ingrati - - - causas autem ingra-
 titudinis has esse decernimus, si quis parentibus suis manus
 intulerit. Esque consentaneum, rationem in eo positam esse,
 quod suis et naturalibus illatum adeoque pietatis religio vio-
 lata sit, ut iusta irascendi et exheredandi causa habeatur.
 3.) Pater quoque ob facinus in matrem admissum a libe-
 ris exheredari potest per Nov. CXV. cap. 4. Hinc idem
 iuris videtur et filium a patre exheredari posse, quia ma-
 tri iniuriam intulit. Et haec quidem sunt rationes ILLV-
 STRIS PVFFENDORFFII.

§. 8.

His vero perpensis rationibus remanere aliquid vi-
 detur, quod ad sensum impedit et opinionem hactenus
 creditam fulcit. Namque obseruandum ante omnia vi-
 detur, *versari nos in interpretatione legis cuiusdam arbitra-*
riae, cuius legitima verba supersunt, unde non verba ex
sensu, quem legi tribuimus, quia ita volumus, sed sensum ex
verbis legis concludere debemus. Unde quae superiori §.
 allata est ratio prima satis quidem vera esse potest, sed ad
 praesentem causam tamen non confert, aut si confert,
 hoc solum confert: non esse ab omni vero alienum,
 potuisse Iustinianum in lege sua subintelligere illud,
 de quo quaerimus, non autem quod subintellegerit,
 quod tamen, nec ipse auctor Illust. ut videtur, hoc argu-
 mento efficere voluit. Maius vero pondus constitutum
 videtur in ratione secunda. Ex ipsis enim verbis legis
 eruitur, fuisse hanc mentem Iustiniani, ut ob iniuriam
 alteri parentum factam alter exheredare filium vel
 filiam possit. Sed non videtur sane id ex verbis Nouel-
 lae intelligi. Equidem Illust. auctor verba initialia
 Cap. III. in Nov. CXV. vult post quamlibet, vel saltim
 B 2 ali-



aliquas causas postea relatas poni. In eum modum: *Si quis propriis et naturalibus parentibus impias manus intulerit, si quis parentes graui et inbonesta iniuria affecerit, si eos in criminalibus causis accusauerit, si vitae parentum insidiatus fuerit etc. sancimus, tunc licere patri aut matri, auo aut auiae, proauo aut proauiae filium suum, aut filiam, aut reliquos liberos in testamento suo praeterire aut exheredare;* Vt itaque fere in aprico positum sit, velle Iustinianum, vt liceat vnicuique adscendentium exheredem scribere eum, qui parentibus, sit cuiusque parentum velit, intulerit aliquam ex relatis iniuriis. Sed id in mentem non venisse Iustiniano mihi quidem videtur. In verbis initialibus imperator nominat eos adscendentes, qui exheredes scribere possunt, et quae deinde sequuntur verba interiecta vsque ad ipsam relationem causarum exheredandi, plenum sensum periodi finiunt et comprehendunt, quod inspicienti legem apparebit. Iam ipsae referuntur causae. Et ne legislator in qualibet causa petere cogatur nomen singulare et proprium cuiuslibet adscendentis vtitur verbo generali: *Si quis parentibus.* Ex qua dictione non id colligi voluisse videtur, vt cuiuslibet adscendentium in qualibet causa obueniens in altero eorum liceat statuere exheredationem, sed illi, in quo haec causa immediate occurrit. Puto enim id non inconsumetum esse in legibus et sermonibus nominare plures, et tamen intelligi velle, de eo quem ipsa obueniens species tangit. Sic v. c. dicitur: Omnibus et singulis subditis nostris, sint cuiuscunque ordinis et dignitatis velint, praecipimus, vt in soluendis debitis eum teneant modum, qui in hac nostra lege constitutus est. Vbi tamen subintelligimus eos subditos qui creditorum aut debitorum speciem prae se ferunt, non reliquos. Sic, vt alio exemplo vtar, dicitur: Sancimus licere studio vnicuique opponere exceptionem illegitimi debiti suis

suis creditoribus, si probabuntur a studiosis excedere ea
 modum praescriptum, deinde si studiosis data sint ad lu-
 xuriam, porro si studiosis probabuntur data esse ad li-
 bandum sexui sequiori. Quis aliter interpretabitur,
 quam illi studioso, in quo debitum constituti generis ex-
 surgit, licet opponere exceptionem illegitimitatis debiti?
 Plane eodem modo putamus in nostro casu dicendum
 esse: Sancimus igitur non licere adscendenti cuique
 exheredem scribere suum descendentem, nisi si quis pa-
 rentibus suis i. e. illi qui exheredem scribere vult, im-
 pias manus intulerit. etc. Tertia ratio iterum accesso-
 ria est a similitudine desumpta. Potest, inquit *ILLVST.*
PVFFENDORFFIVS, descendens exheredare alterum ad-
 scendentem, si is alterius adscendentium vitae insidias
 fruxerit, vnde eodem modo poterit adscendens alter ex-
 heredare descendentem, si is alteri adscendentium gra-
 tuam iniuriam intulerit, non enim maior est coniunctio
 inter adscendentem et descendentem, quam est inter
 ipsos adscendentes. Adest utique quaedam in his cau-
 sis similitudo, in vtraque enim adest iniuria oblique al-
 terum tangens, sed si quidem de ipsa mente Iustiniani
 quaerimus, et apertum est, per ea, quae in anteceden-
 tibus huius §. dicta sunt, eam non fuisse, vt alteri ad-
 scendentium daret ius exheredandi propter iniuriam ad-
 uersus alterum adscendentem commissam, nobis haec
 similitudo nihil proderit, nisi vt inde deriuemus, non
 abs re fuisse et ab aequitate remotum, si Iustinianus,
 quod de causa simili constituit, constituisset quoque de
 altera causa. Id vtiq. constendum est, non inquam
 esse adsertionem *ILLVST. PVFFENDORFFII*. Sed idiam
 non quaerimus, potius id quaerimus, num imperator in
 conceptione Nov. CXV eam mentem fouerit, quae in
 hac adsertione ipsi tribuitur, idque negandum videtur.



§. 9.

Fortasse et illud opinioni nostrae accedit, quod in quibusdam locis Cap. III. Nov. CXV. ipse imperator mentem suam explicat de illo parente qui iniuria est affectus. Ita enim in §. 8. huius capituli scriptum est, *se quem ex parentibus carere includi contingat et liberi - - - ab eo rogati - - pro eo fideiubere nolint. Sic §. 12. dicitur: Si quis ex praedictis parentibus furiosus sit, - - - siquidem ab eo morbo liberatur, licebit ipsi, si velit filium - - ingratum in suo testamento scribere.* Idem §. 13. constituitur, ut parens captiuitate detentus ab eaque liberatus, si liberi ipsum redimere non studuerint, in potestate habeat, *num hanc ingratitudinis causam in testamento suo scribere velit.* In quibus locis facultas exheredandi datur ipsi parenti in quem iniurius fuit descendens, idque, ut videtur, exclusiue. Nec adest ratio putandi, de reliquis causis idem non valere.

§. 10.

Veniendum est ad vltimam quaestionem. In quantum ipsae causae relatae admittant extensionem. In quo mirum in modum dissentiunt Iureconsulti. Ipsa vero verba Nouellae debent attendi. *Necessarium nobis visum est illas (causas ex quibus liberi ingrati iudicari debent) NOMINATIM comprehendere, ut praeter eas nemini liceat, ex alia lege ingratitudinis causam opponere, nisi ILLAS, quae SERIE praesentis constitutionis continentur.* Ex quo loco ita argumentatur GERH. NOODTIUS in *Comment. ad tit. D. de inoff. testam. Oper. Tom. II. p. 130. Mibi persuadeo, quicquid ab aliis iactetur, non posse exheredationem salua voluntate Iustiniani, quae sola et Icto et Praetori*



tori consideranda, alias fieri ob causas, quam in cap. 3. expressas. Neque hoc idcirco prae me fero: quasi aut iniquum putem, alias admitti, praeter expressas: aut quod mihi lateant causae, expressis similes, aut grauiores. Contra scio, esse multas, non dicam expressis pares, sed longe grauiores; talesque admitti, aequitatem pati. Me mouet, quod Iustinianus palam vetuit, alias causas praeter expressas, interpretatione recipi. Dicit in pari causa par ius esse oportere, porro leges nunquam scribi posse tam accurate; ut omnes causas, aliquando emerfuros, complectantur - - - Sed illa me de gradu, quem semel cepi, non detrahiunt, non enim aequitas hic quaestioni est, sed imperatoris voluntas: aduersus quam nihil valet aequitas. Et haec tenens quidem ille. Sequitur eandem opinionem LUCAS VAN DE POLL in libro singulari de exheredatione et praeteritione imprimis Cap. LXXXVI. Vbi inter alia ita loquitur: Si me rogas, an huic numero numerus possit addi? Ingeue fatebor, non posse. Pendet enim numeri definitio ex arbitrio legislatoris, quodque principi placet legis habet vigorem. Ac licitam Imperatoris fuisse certas seligere causas, ob quas solas exheredationis flagello punirentur nonnulli, quis neget? Concludit deinde §. 28. cit. capituli: Regula esto, OMNES QVAE SVNT EIVSDEM OMNINO GENERIS INGRATITVDINES, VEL IN EODEM GENERE FLAGITII GRAVIORIS CAUSAE A IVSTINIANO INCLVDVNTVR, NEC EVNDEM HINC LONGIVS. In qua regula quodammodo accedit ad eorum placitum, qui quamdam differentiam in casibus exheredationis admittunt, licet recedentem a causis expresse relatis. In eadem opinione est SAMVEL DE COCCEIT in Iure civ. Controv. sub tit. de inoff. testam. Quaest. XIII. Nec dissentit s. STRYKIVS in Cautelis testam. Cap. XIX. §. 24. Satis restrinxit mentem suam Imperator ut alias admittere causas fas haud sit. Hoc tamen temperamentum huic sententiae






tiae addendum esse arbitror, ut attendi debeat, utrum causae illae aliae, quae non sunt expressae, sint tales VERBO an RE IPSA vel ut Huberus ad tit. I. de liberis exheredandis distinguit, utrum causae sint eiusdem, an diuersi generis: illas quia sub expressis necessario continentur, excludere non possumus - - has, licet maiores et atrociores, tamen merito excludendas esse existimo. Sed defectu non materiae, sed spatii circumscriptus hic subsisto, et qualicumque huic opellae impono

F I N E M.







Jena, Diss., 1764-65

VD 18

ULB Halle 3
005.360 706





Pri. 54. num. 17.

17655 14

COMMENTATIO
DE
TERPRETATIONE
CAP. III. NOVELLAE CXV,

QVAM
MEMBRIS QVIBVSDAM VALEDICENTIBVS
COLLEGII DISPVTORII,

QVOD
PRAESIDE
VIRO CONSVLTISSIMO AC DOCTISSIMO
ACOBORAVE
IVRIVM DOCTORE CELEBERRIMO

HABETVR
NOMINE HVIVS COLLEGII

CONSECRAT
AVCTOR
CHRISTIANVS FRIDERICVS GEVSSENHAINER
ALTENEVRGENSIS. L. L. C.

MENSE APRILI ANNO MDCCLXV.

IENAE
LITTERIS STRAVSSIANIS.

